



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 1. Quid, & quotuplex est Indulgentia?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

hujusmodi, etiam ipsâ Confessione non secutâ, sive extra occasionem Confessionis in Confessionario, aut in loco quocumque ubi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo, simulantes ibidem Confessiones audire, sollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint. Mandatque omnibus Confessariis, ut Pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis modo supra dicto sollicitatos, moneant de obligatione eos denuntiandi. Unde ad hoc tenentur omnes, ubi hoc decretum viget; imò & alii, si aliâs isti nefarii Confessarii prævidentur non emendandi: nam tunc lex charitatis erga illos, & alios seducendos obligat ad tale crimen impediendum hac denuntiatione, si non adsit alia via efficax.

APPENDIX.

De Indulgentiis.

Q. I. Quid, & quotuplex est Indulgentia?

R. I. Indulgentia est remissio pœnæ temporalis peccatis, quoad culpam remissis, debitæ, facta extra Sacramenta, & sacrificium per applicationem satisfactionum Christi, & Sanctorum. Fide constat ex Trid. sess. 25. Indulgentiarum usum fidelibus maximè salutarem esse, easque concedendi potestatem in Ecclesia extare.

Resp. II. Indulgentia alia est totalis, seu plenaria,

narum, qua tota pœna temporalis remittitur; & alia partialis, seu non plenaria, qua pars tantum pœnæ remittitur. Hæc dicitur aliquando Indulgentia unius anni, vel plurium, vel 40. dierum; per quam scilicet tantum de pœnis remittitur, quantum remitteret Pœnitentia austera unius anni vel plurium, aut 40. dierum, secundum antiquos Canones facta.

Q. 2. Quinam habent potestatem concedendi Indulgentias?

Resp. Papa potest jure divino Indulgentias qualescumque in tota Ecclesia concedere; cum supremus sit Vicarius Christi, & supremum caput visibile Ecclesiæ. Supremo autem Principi competit potestas dispensandi thesaurum communem sine limitatione. Episcopi verò in sua Diœcesi, & Archiepiscopi in tota sua Provincia possunt jure communi concedere, tantum Indulgentias unius anni in dedicatione Ecclesiæ, & in anniversario dedicationis, vel alia ex causa, dierum duntaxat 40. ex Conc. Gener. Later. 4. can. 62. Cardinales etiam non Episcopi dicuntur concedere Indulgentias 100. dierum ex Concessione Papæ, saltem tacita.

Not. Hæc potestas est jurisdictionis, non Ordinis. Hinc 1. potest competere, & delegari Clerico non Sacerdoti. 2. Indulgentiæ non possunt concedi, nisi subditis, c. 4. de pœnit. & remiss. uti ratio datur, quia sicuti à Judice non suo ligari nemo potest, ita neque absolvi. sunt